



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm
Passionvm, Prauorumque affectuum**

Fazio, Giulio

Köln, 1604

De amore, deuotioneque sensibili. XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

sua actione, sed semper ad augmentū tendit, quamdiu materiam inuenit, in qua valeat se multiplicare, ita etiam se habet natura huius amoris. Et quia quæ diuina sunt, sine mensura diligibilia sunt, ideo semper inuenit amor in Deum fusus, materiam se extendendi, & amor Dei, eiusq; profectus modum non habet nec finem. Quia ergo opus istius amoris propriè est, hominem perurgere ad proficientem vitam, propterea semper pugnat contra acediosam tepiditatem.

CAPVT XXV.

De amore, deuotione que sensibili.

NOtandum tamen est hic, sicut dicit Richardus super Cantica, quod est dilectio quædam affectuosa, quæ interdum minus diligentem & minus perfectius afficit. Non enim tantum quisque diligit, quantum hanc sentit, & quantum in illo statu sibi diligere videtur, sed quantum in virtutibus & charitate fundatus fuerit, & in seruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus, quodammodo

* sensualis est fallax, & humanitatis in
 * *Alia carnalis.*
 terdum potius quam gratiæ, cordis quam spiritus, sensualitatis quam rationis, ita ut magis accendatur aliquando ad minus bonum, & minus ad maius, & ad

aliquid quod amplius sapit, quam quod expedit. Hoc affectu discipuli errabant, & carnaliter Deum diligebant, cuius presentia carere nolebant. Vnde etiam non diligere arguebatur, qui quod delectaret magis, quam quod expediret, amplectebatur:

Ioan. 14.

Si diligeritis me, inquit, gauderetis utique, quia vado ad patrem. Sic etiam non recte sapiunt, qui tam inordinatum impulsum habent accedendi ad venerabile sacramentum, frequentandi deuotionem, & similia. Sic affectuose interdum carnalis aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligit, sed quia dulcedinem gratiae degustat. Quae quantum durat, tantum iuuat: quamdiu enim durat dulcedo, durat & dilectio: sed non agnoscitur in bonis iste amicus, quia interdum hanc sensibilem dilectionem vel dulcedinem gratiae, magis sentit, leuis corde & inops gratiae, quam verus amator. Facilius enim mouetur, qui leuior corde fuerit, & expers gratiae, delectabilius oblatam recipit. Huius enim dulcis affectus causa, interdum est non gratiae copia, sed mentis inopia: exigua enim latificant pauperem, sicut est haustus vini, quo non latificaretur ebrius.

* *Alias consolati-
onis.*

Quando igitur Deus vocat per affluetiam gratiae, debet homo viuudus esse ad
respon-

respondendum per impletionem diuinæ voluntatis, iuxta illud Iob: *Vocabi me, & ego respondebo tibi.* Quia vocatio neminē perfectum facit, sed bene obligat ad perfectionem, cum præcipuæ, qui ingratus inueniri refugit: sed responsio per impletionem diuinæ voluntatis iustificat hominē, & ad perfectionem perducit. Fit etiam aliquoties dulcis iste affectus à maligno spiritu, vt ad debilitatē corporis homo perducatur, dum per spirituales gulas in illa voluptate nimis confidit, requiescit, & indiscreta exercitatione prosequitur, vel vt per illius occupationem ab vtiliori opere reuocetur: & item vt eius abundantia fretus, perfectum se aliquis credat, & ad perfectum minus excitetur & exercetur virtutum: Vel etiam vt principaliter in exercitijs intentio feratur ad habendam sensibilem deuotionem, vel abusiue fruendum hac defectuosa voluptate, & ita à iudice iustitiæ (qui corda omnia nouit & intentiones) æternaliter condemnatur.

Nunc vero restat inquirere, vbi verum amorem debeamus inuenire. Verus amor iacet occultatus in fundo virtutum, & manifestat se in omni aduersitate. Exempli gratia, Fundamentum humilitatis est desiderare contemni, & si habuerimus hoc desiderium propriè vel purè propter amotē

Dei,

Gratia diuinæ quomodo nos preparamus. Iob. 4.

*Gula spiritualis. * alias, dñi nimis ei creditur, eique dum valde delectat, inheretur.*

3. Reg. 8.

Amor verus vbi querendum.

Dei, scilicet vt illi placeamus, accepti & chari efficiamur, tunc amor est verus. Similiter fundamentum patientiæ est desiderium patiendi propter Deū omne, quod possibile est hominem sustinere: similiter est videre de fundamentis aliarum virtutum. Et tunc iste amor se manifestat, quando homo in actuali tolerantia seu passione requiem inuenit, & hoc propter Deum, sicut Laurentius super prunas iacens, dicebat: *Isti carbones mihi refrigerium præstant.* Ardor enim amoris patiendi pro Christo magnus erat in corde ipsius, & refrigerabatur per præsentem tolerantiam, in eo quod desiderium suum adeptus fuerat, hoc est, pati pro Deo.

CAPVT XXVI.

De adhesionē quietā, quā Deo vnimur per spem.

Tertio consurgimus, & Deo vnimur per adhesionem quietam, solidatam anchora spei, vt scilicet quis omnem tam moralem quā spirituales exercitij motus, omnemque internæ suauitatis (etiam diuinitus infusæ) sensibilem saporem, velocitate intentionis & dilectionis penetrabili acumine transcendat, & in Deo tanquam in motus sui finali termino immobiliter quiescat. Nam quando homo se-
lectat